



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 6. Ad quem Iudicem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

quomodo tempus, & termini obli-
ventur. Nam si in his committatur ne-
gligencia, & defectus, appellanti nocet,
& iudici, à quo proderit, cuius per id
sententia robur accipit. *c. Personis. hoc tit.*
Guido Papa Concl. 6. Maranta actu 2. n. 134.
Ferrar. in for. appell. Wurmser l. 1. obs. 8.

II. Quando nihil obstat coram Iu-
dice, qui sententiam tulit, facienda ap-
pellatio est. *c. ut debitus 59. hoc tit.* Illius e-
nim interest, nosse mentem litigantium,
præsertim illius, qui damnatus est, ne
ulterius procedat, & contra ordinem iu-
diciorum ea peragat, quæ nullum effe-
ctum sortiantur. Quod si non unus tan-
tum, sed plures de causa cognoverint, &
pronuncia verint, coram omnibus simul
collectis, vel si omnium copia haberi
nequeat, coram singulis vel eorum ma-
iori parte appellatio fiet. Si nec ista pars
colligi queat, sufficet coram iis, qui
præsentibus sunt, appellationem perage-
re. Si denique nullus iudex adsit, vel
meruatur illius potentia, coram nota-
rio, & probis viris etiam extrajudiciali-
ter fiat. *c. ult. & ibi Glo. & c. Francus h. t.*
Poterit etiam appellans ipsum superio-
rem iudicem adire, eique libellum ap-
pellationis præsentare. *Herculanus de at-
tentatis c. 24. n. 6.*

III. In casu, quo coram Notario &
probis viris extrajudicialiter fieret ap-
pellatio, & iudici, & parti insinuanda e-
rit, intra mensem ut sciant, in quo statu
controversia posita sit, & quid deinceps
agendum. *Scaccia de appell. q. 6. n. 31.* nisi
fortè metus obstet, sicut enim propte-
rea licuit præsentiam illius declinare, ira
insinuationem quoque. *Angel. Consil. 130.*

*Guido Papa quest. 25. & 436. Card. Tuschil
Concl. 350. & 351. V. Wurmser. l. cit. obs. 4.
Hartman l. 2. obs. 6. Lanfranc. pag. 115. col. 2.
Anchar. in Clem. 1. de appell. Zerola Par. 1. V.
appellat. n. 3.*

§. 6.

Ad quem appellandum.

I. Iudex, ad quem primò appelleretur,
non est supremus, sed immediatus.
Gradatim enim appellari vult. *Novella
23. Iustinianirelatam c. Anteriorum. 2. q. 6.
c. Dilicti. 65. hoc tit. c. Romana. eod. in 6. qua
confunditur jurisdictiones non debent. 1.
Nemo. C. de iuris d. om. iud. Quamobrem
iure civili non fit appellatio immediata
ad imperatorem, aliumve supremum
Iudicem. l. Imperatores. ff. hoc tit. Or-
dinationes Camerae Anno 1555. n. 29. O-
stiens. in c. Romana.*

Limita Primo. Nisi immediatus Iu-
dex acceptare nolit. Secundo nisi appel-
lans habeat exceptionem contra illum.
Tertio. Nisi suspectus sit. *Abb. in c. Dila-
ti hoc tit. 10. Andr. in c. Romana eod. Men-
rer. 3. par. Ordination. Camera. tit. 29.
Mysing. Cent. 1. obs. 47. Vallensis de ap-
pell. §. 6. n. 5. Hartman. de appell. obs. 5 &
al. communiter.*

II. Multum hic à civili Iure Cano-
nicum dissidet. Per Canones enim à
quolibet inferiori Iudice in causis Ec-
clesiasticis ad summum Pontificem ap-
pellare licet immediatè. *c. 7. c. de prio-
re 31. c. Ad audientiam. 34. c. Dilicti 52.
hoc tit. V. Gretser. in Exam. Pleseam My-
sterii c. 19.* Similiter ad Legatum de-
latete in provincia sibi assignata exi-
stentem

§. 7.

De tempore appellationis.

sentent. c. 1. de off. Legati, & ibi Pa-
norm. Maranta actu 2. num. 371. Gerit
enim vices summi pastoris, & concur-
rit cum quolibet Ordinario in sua pro-
vincia. In aliis causis eadem cum iu-
re civili servanda regula est, ut gradatim
fiat appellatio, nisi contrarium consue-
tudine obtentum sit. c. Cum contingat.
de foro compet. c. 3. §. ab Archidiacono eod. in
6. Gaill. l. 2. observ. 219. n. 2.

Ratio diversitatis est, quia princeps
secularis constituendo Iudices, in ipsos
potestatem suam transfert, abdicando
a se: quod à summo Pontifice regula-
riter non fit. l. Imperatores ff. hoc tit. Felin.
inc. super questionum. §. porro. de off. Iud. de
leg. Berlich. Conclus. 5 n. 676.

III. Si laicus Iudex causam episcopo
commiserit, ab illius sententia ad lai-
cum, qui delegavit, vel eius superio-
rem laicum fiet appellatio, si autem
duo Iudices fuerint, Ecclesiasticus u-
nus, & alter laicus, ad superiorem Ec-
clesiasticum utpote digniorem dirige-
tur appellatio. Maranta Par. 6. actu.
2. n. 392.

Idem faciendum, si laicus, & cleri-
cus simul fuerint arbitratores: reductio
enim ad Ecclesiasticum fiet. Denique
si in causa Ecclesiastica laicus pronun-
ciaverit, se competetem iudicem esse,
non ad Iudicem laicum superio-
rem, sed ad episcopum pro-
vocabitur. Maranta. lo. cit.

n. 397. Card. Tuschus

Conclus. 352.

I. **N**on eadem olim, quæ hodie tem-
poris præfinitio est, ut videre li-
cet apud Azonem in summa l. 7. Cod. n.
63. Olim poterat quis in causa præ-
pria appellare intra biduum, in causa a-
liena verò intra triduum duntaxat, &
non ultra. l. siquidem. s. biduum. §.
dies. §. in propria. ff. Quando appellan-
dum sit. l. Eof. 6. §. si autem. C. de ap-
pellat.

Hodie est decendium, hoc est, de-
cem dies à die latæ sententiæ, vel à die
scientiæ, quo sententiam latam esse in-
tellexerit condemnatus. Adque si ve ap-
pellare velit à definitiva, si ve ab inter-
locutoria, si ve à quocunque gravami-
ne. Auth. Hodie. C. de appell. c. Quod
ad consultationem. de sent. & re iud. c. Cum
dilectus. §. fin. de elect. alex. Consil. 136
Azol. cit. Cardin. Tuschus Conclus. 354.
Soto l. 65. q. 6. art. 3. Roderic. Tom. IV.
tit. 27. c. 2. n. 32. Tabien. v. appellatio. n. 3. &
alii DD. communiter.

II. Prædictum tempus strictè obser-
vandum est, nulla prorogatione, vel
consensu partium vel Iudicis arbitrio
permilla. Quam ob rem fatale à legi-
bus appellatur. Est verò ab initio utile
nec currit impedito, vel ignorantia, nisi
sit verè contumax, sed postea efficitur
continuum. l. 1. §. dies ff. Quando appel-
landum. ita ut etiam feriæ solennes in-
cludantur. l. 1. C. de feriis. l. si ve pars. §. feriæ.
C. de dilationib. Silv. n. 5.

Limi.